



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

61 Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum
oblitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

**Constan-
tia iusti.**

tissimam curam, atque constantiam in eo, quod dicit se non fuisse turbatum, aut solitudinibus distractum. Talem quippe oportet esse legis Dei obseruatorem, ut, quæ facienda viderit, alacritate spiritus, & feruore non differat: neque contradictionibus siue externis, siue internis aut perturbetur, aut cedat. Sic sancti viri non solum in angustijs Dominum exquisierunt, sed etiam in tormentis. Nec turbati sunt, nec perterriti, quia caritas omnia vincit: quia fortis ut mors dilectio, superat omnia: quia dura, sicut infernus, æmulatio cedere nescit: quia denique lapides ignis, atque flammaram, nec extinguuntur tribulationum aquis, nec obrui fluminibus possunt. Ergo tuta legis custodia est, ubi caminus feruet amoris, quia Dilectio custodia legum Dei est.

Sap. 6.

61 Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

**Memoria
legis libe-
rat à la-
queis.***PROV. 29.*

Peccatores homines, & legis tuæ inimici; vel etiam peccatores, inuisibiles hostes, qui incentiua exaggerant ad peccandum, quasi quibusdam funibus circumplexi sunt me, & rete expanderunt gressibus meis, ut me caperent; non tamen efficere potuerunt, ut legem tuam obliuiscerer: sed potius memoria eius, quam

num-

nunquam deposui, illesum me inter hu-
iusmodi pericula custodiuit. Cuius enim *Psal. 36,*
in corde lex Dei est, non supplantabuntur
gressus eius.

62 Media nocte surgebam ad confiten-
dum tibi super iudicia iustificatio-
nis tuæ.

Scriptum quidem est in libro Sapientie, *Sap. 16,*
præueniendum esse solem ad benedi-
ctionem tuam: sed amor, & desiderium in
pectore meo clausum appropinquantem
solem expectare non potest. Media nocte *Nocte*
non solum memor eram nominis tui, nō *laudādus.*
solum meditabar in te requiescens in stra- *Deus.*
to meo, sed surgebam ad confitendum ti-
bi. Quod autem dicitur, Media nocte.

Primum indicat etiam ipsam mediam *Primò,*
noctem, & tenebras occasionem esse remi- *ob bene-*
niscendi Dei. Ipse etenim, vt notat San- *ficiū no-*
ctis ipsius. *Lib. 2 de*
ctus Chrysostomus, quasi pia mater velum *Cōpunct.*
noctis filio in cunis degenti ad quietem *Conf. lib.*
clementer expandit: vnde suis versibus, *9. c. 12.*
quorum B. Augustinus meminit, S. Am-
brosius hanc Dei clementiam celebrat, in-
quiens.

Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia.
Artus solutos vt quies

Red-